Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tui. et uxores tue et concubine tue vinum bibistis in eis. Patena dicitur eo quod patens corda ampla karitate significat. Sicut alabastrum in quo portavit unguentum maria ad unguendum dominum significavit corpus eius in qua erat fides sine positura. Ita et patena potest corda sanctarum feminarum designare que patebant latitudine karitatis in obsequio christi. Nam et ipse inerant ut puto non minima exsecutione in ministerio discipulatus christi. de quibus dicit matheus evangelista. Erant autem ibi mulieres multe a longe que secute erant ihesum a galilea ministrantes ei. inter quas erat maria magdalena et maria iacobi. et ioseph mater filiorum zebedei. Tamen ipse non susceperunt corpus domini de cruce. sed ioseph. sic nec subdiaconi sed diaconi susceperunt calicem de altari.

De officio quod memoratur requies domini in sepulchro.

Subdiaconus regionarius accipit patenam finito canone. quia leticiam dominice resurrectionis mulieres primo audierunt: ille huc illucque discurrebant fervente studio circa sepulturam domini. Stant diaconi. stantque subdiaconi inclinati. usque dum audiant sed libera nos a malo. Ipsa est enim vii. peticio de oratione dominica. Septenario et enim numero universitas designatur. Septima peticione dominice orationis finis signatur totius tristicie ac perturbationis apostolorum quam habebant de morte domini. Sequens oratio que inchoatur. Libera nos quesumus domine ab omnibus malis. embolis est dominice orationis. ut per illam veniatur ad finem consuete conclusionis. per dominum nostrum. Quod aptius in sequentibus demonstrabitur si dominus dederit. Quid illo tempore hoc est quando christus in sepulchro quievit apostoli agerent non legitur aperte. sed ex iohannis evangelio eorum metum cognoscimus. qui dicit. Cum esset sero die illo una sabbatorum. et fores essent clause ubi erant discipuli congregati propter metum iudeorum. Ex quo discimus tristes fuisse apostolos timore. Ista tristicia demonstratur per diaconorum declinationem. Discipulorum vero tristiciam cognoscimus ex domini sermone quem dicit secundum lucam ad duos qui ibant in die resurrectionis in castellum emmaus. Qui sunt hii sermones quos confertis ad invicem ambulantes et estis tristes. Ideo et subdiaconi inclinati manent. Secundum modulum lugubrationis mee demonstratum est quid velit inclinatio diaconorum. excepto quod oratio interna solet demonstrari per habitum corporis. Unde augustinus in libro ad paulinum. de cura gerenda pro mortuis. Nam et orantes de membris suis faciunt quod supplicantibus congruit. Cum genua figunt. cum extendunt manus. vel etiam prosternuntur solo. et si quid aliud faciunt visibiliter. quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio deo nota sit. nec indigeat ille his indiciis. ut animus ei pandatur humanus. sed his magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius et ferventius. et nescio quomodo cum hii motus corporis fieri nisi motu animi precedente non possint. eisdem rursus exterius visibiliter factis. ille interior invisibilis qui eos fecit augetur. Ac per hoc cordis affectus qui ut fierent ista precessit. quoniam facta sunt crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur vel etiam ligetur ut hec de suis membris facere nequeat. non ideo non orat interior homo et ante oculos dei in secretissimo cubili ubi compungitur sternitur. Celebratio huius officii ita currit ut ostendatur quid illo in tempore actum sit circa passionem domini et sepulturam eius. et quomodo nos id ad memoriam reducamus per obsequium nostrum quod pro nobis factum est.

De oratione dominica.